

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 82. (*Neovidensis* 1806. Nro. 75.)

Ex Campis Elysiis

Dissertatio Politica

De antiquo Germanorum candore.

Elysium -- Memm. -- Die Martis 30. Septemb. 1806 (Neov. 16. Sept)

S e n t e n t i a :

Germanus iste Michael est prisci moris homo.
Proverbium Germani cujusdam probi viri.

Adagium hoc in memoriam nobis revocat, quemlibet populum in medio etiam variarum mutationum circa Imperii formas retinere suos mores, et consuetudines, easque propagare; Populus Germaniae, et ipsa germanica natio, inde a migrationibus Saeculi 5. propendebat in legitimam libertatem, atque vere sibi proprium statum. Bella civilia nullam induxerunt in hanc ejus indolem mutationem, et post tricennale opinionum bellum apud omnes sectas immotum perstitit germanicum proverbium, dum sermo erat de probio germano: — Est frugi vir germanicus iste Michael!

Ante 40 circiter annos quidam Comes Vindobonae habuit aurigam, nomine Michælem. Quidquid tunc temporis Parisiis venit, magari fiebat; Ad ferendam itaque approbationem assumendi erant mores gallici, hac de causa aurigæ Michèle inditum

est nomen juxta gallicam pronuntiationem: *Monsieur Michel*. Comite ex theatro exeunte clamabat famulus: Mischel! Mischel! at ille non comparuit; Iterum, iterumque idem nomen repetiit, auriga non venit, Tandem famulus accedens ad currus, reperit aurigam, culpâ ejus vaecordiam, quod vocatus non accurrerit. Quid! ait auriga, ego me nominari non audivi, paulo iratior famulus repetit, non inelamavine identidem, Mischel, Mischel? Hoc equidem bene audivi, sed non est meum nomen, ego sum prisca moris germanicus Michel!

Mihi videtur hoc responsum aurigae speciem quandam familiaritatis in se continere; candidum certe denotat animum, qui oblectat, et si eo veniretur, ut in certis quibusdam periculosis casibus opus sit se alicui concedere, nemo dubitaret, patrocinium potius probi germanici Michaëlis quaerere, quam cujusdam Aulici, qui se suis subtilibus expressionibus, et elegantiore vivendi ratione a caeteris distingvit.

Hanc germanicam sinceritatem nulla Imperii forma potuisse everti abunde demonstrat patria Germanorum. Fortasse enim nulla cogitari potest Imperii forma, quae in nostram Constitutionem non fuisset inducta, obtinuit Democratia, Aristocratia, Monarchia, alicubi etiam Despotismus, ac variae formae mixtae, at ubique reperiri poterant boni germanici Michaëles, id est, species simplicitatis, quae antiquam virtutem, fidem, mores spirabat.

Talis natio, qualis germanica est, profecto pluribus excellit originariis praerogativis, quam alii populi. Proprio utitur idiomate, qua re nativos suos mores ita conservavit, ut nullae politicae procellae potuerint ejus animum immutare. Quilibet Princeps, qui aliquam ejus partem gubernat (in plures enim divisa est) gaudio afficitur, quod probis praesit germanis. Tristis etenim docet experientia, non triumphis, sed unita omnium, et quod summum est, germanica vi fieri tam Rectores, quam nationes felices. Antiquus germanicus Michael longe firmius supeditat fundamentum civitati, quam quiscunque metaphisicus fabricator novorum consiliorum, et philosophicorum systematum, quae instar arcium, ex chartis lusoriis structarum ad levissimum halitum corruunt, et iterum cum eodem successu restaurantur.

Sed abruptamus hoc argumentum. Jam novus ordo in patria nostra enatus est, qui novam promittit felicitatem, et novam tutelam, quibus Germania omnino indiget. — En laetas hanc in rem spes — ex novis actis.

Asiburgo 13. Septembris.

Circulare scriptum ad suas Majestates, Caesareos ac Regios Principes, Serenissimos Duces, et Principes, socios Rhenani foederis.

Princeps Primas Rhenani foederis notum reddit suis Regiis Majestatibus, Caesareis, ac Regiis Principibus, Serenissimis Ducibus, et Principibus, sociis Rhenani foederis, suum Ministrum Baronem Albinum initio hujus mensis discesisse Francofurtum ad praeparanda foe-

deratorum Comitia. Cum acta foederis hoc tempus designent pro proponendo fundamentali statuto, initium sessionum probabilius pendebit ab adventu ablegatorum. Siquidem Princeps Primas avidissime desiderat fiduciam foederatorum Monarcharum, ac Principum proinvereri, primum suum esse officium judicat, nihil proponere, quod non sit ab omnibus tanquam maxime utile foederi, et plenae independentiae foederatorum Imperantium consentaneum agnitum.

Si condere fundamentale statutum non potest esse opus unius diei, et tanti momenti argumentum summam exigit deliberationem, verum est et illud, optandum fore, ut Confœderatio a sua origine firmis inniteretur principiis. Id illa intendit, ut pro commodo populorum quies, et tranquillitas conservetur, ut Imperantes ad eum statum ponantur, in quo sine intermissione publicam suarum Civitatum salutem possint promovere, et commoditatem vitae in suis provinciis per sapientem, ac paternam administrationem, per culturam artium, et scientiarum augere, isti enim sunt fontes, ex quibus verus splendor illustribus Dynastiis, et Regiis Ausiliis accedit. Germania Australis post tot saeculorum infortunia, inquietudinem, ac bella ex animo optat, ut ejus interna securitas modo quam optimo stabiliat. Princeps Primas foederatorum Monarcharum, ac Rectorum judicio proponit decisionem quaestionis, an fundamentale principium de inviolabilitate territorii Confœderationis non sit primum, et ma-

ximum omnium principiorum, quo populis securitas praestetur, an non sapientiae foederatorum Monarcharum, et Imperantium congruat, non admittere, ut peregrinae copiae, etiam inermes, sine consensu totius Confoederationis per territorium transeant? Denique an dignitati supremorum Imperantium conveniat, ut ablegati ad Comitata Francofurtana, dum se firmanda pace interna occupant, Ministros exterrarum Aularum suscipiant, aliosque ad easdem expediant? quod quidem unicuique Monarcharum, et non conventui legatorum reservatum esto.

Si hac de causa Comitata Francofurtana ad suam Majestatem Imperatorem Gallorum, et Regem Italiae, qua Protectorem se converterint, ut ab eo fide interposita obtineant securitatem de conservanda inviolabilitate territorii confoederationis, sine dubio maximum hoc beneficium sperari potest ab illo viro, qui contra impendentia plurima pericula novit inviolabilitatem praecipui orbis terrarum territorii evincere.

Princeps Primas has observationes substernit deliberationi Monarcharum, Caesarum, ac Regionum Principum, Ducum, et Principum, sociorum Rhenani foederis, seque felicem reputabit, si hic sincerus ejus conatus illorum fiduciam, et approbationem potuerit emereri.

Asciburgi 13. Septembris 1806.

Carolus

deratorum Comititia. Cum acta foederis hoc tempus designent pro proponendo fundamentali statuto, initium sessionum probabilius pendebit ab adventu ablegatorum. Siquidem Princeps Primas avidissime desiderat fiduciam foederatorum Monarcharum, ac Principum promereri, primum suum esse officium judicat, nihil proponere, quod non sit ab omnibus tanquam maxime utile foederi, et plenae independentiae foederatorum Imperantium consentaneum agnatum.

Si condere fundamentale statutum non potest esse opus unius diei, et tanti momenti argumentum summam exigit deliberationem, verum est et illud, optandum fore, ut Confœderatio a sua origine firmis initeretur principiis. Id illa intendit, ut pro commodo populorum quies, et tranquillitas conservetur, ut Imperantes ad eum statum ponantur, in quo sine intermissione publicam suarum Civitatum salutem possint promovere, et commoditatem vitae in suis provinciis per sapientem, ac paternam administrationem, per culturam artium, et scientiarum augere, isti enim sunt fontes, ex quibus verus splendor illustribus Dynastiis, et Regiis Ausliis accedit. Germania Australis post tot saeculorum infortunia, inquietudinem, ac bella ex animo optat, ut ejus interna securitas modo quam optimo stabiliat. Princeps Primas foederatorum Monarcharum, ac Rectorum iudicio proponit decisionem quaestionis, an fundamentale principium de inviolabilitate territorii Confœderationis non sit primum, et ma-

ximum omnium principiorum, quo populis securitas praestetur, an non sapientiae foederatorum Monarcharum, et Imperantium congruat, non admittere, ut peregrinae copiae, etiam iuvenes, sine consensu totius Confoederationis per territorium transeant? Denique an dignitati supremorum Imperantium conveniat, ut ablegati ad Comitata Francosurtana, dum se firmanda pace interna occupant, Ministros exterrarum Aularum suscipiant, aliosque ad easdem expediant? quod quidem unicuique Monarcharum, et non conventui legatorum reservatum esto.

Si hac de causa Comitata Francosurtana ad suam Majestatem Imperatorem Gallorum, et Regem Italiae, qua Protectorem se converterint, ut ab eo fide interposita obtineant securitatem de conservanda inviolabilitate territorii confoederationis, sine dubio maximum hoc beneficium sperari potest ab illo viro, qui contra impendentia plurima pericula novit inviolabilitatem praecipui orbis terrarum territorii evincere.

Princeps Primas has observationes substernit deliberationi Monarcharum, Caesareorum, ac Regionum Principum, Ducem, et Principum, sociorum Rhenani foederis, seque felicem reputabit, si hic sincerus ejus conatus illorum fiduciam, et approbationem potuerit emereri.

Asciburgi 13. Septembris 1806.

Carolus

Verum — iterumque — verum — novum videtur mundo imminere bellum. Quam rem sequens confirmant articulus ex

Hollandia de 21. Septembris.

Sua Majestas Rex Hollandiae expectatur venturus circa medium Septembris Hagam Comitum. In praesens maritimus Minister peregre profectus est ad examinandum statum navium Hollandicarum.

Die 7. habita est Hagae Comitum lustratio legionum. Gallicae copiae, quae ante duos circiter menses demigraverant, observantur redire in Comitatus Bentheimiensem, et Steinfurtensem. Ita pedites Nro. 65. insigniti, antea in circulo Vestphalico commorantes, die 30 venerunt Enschedam per Davantriam, unde Vesaliam versus properant.

Litterae Amstelodamo allatae perhibent a tribus diebus magnos fieri motus militares. Militibus Hagae Comitum degentibus datum est mandatum, ut ad primum signum parati sint prodire ad castra, quo jam Ultrajecto gallicae copiae concedunt. Illuc etiam Regii Praetoriani se conferent: Castra primum componentur ex 14 millibus peditum, et duobus millibus equitum, quibus ipse Rex praeerit. Exercitus in tria dividetur agmina: primum ducet Generalis Da monceau, secundum Generalis Daendels, tertium Generalis Boecop. Propugnacula Groeningana serio muniuntur; Arx quoque Delphicilla munitamentis firmatur. Omnes canales, et fluvii

referti sunt navibus, quibus res tormentaria ad limites transponitur.

Majorem adhuc incutiunt sollicitudinem rumores Londinenses de 4. Septembris :

Die 3. hujus appulit Parisiis Londinum publicus nuncius Basilico; misit eum Lordius Lauderdale cum ultima sententia, quæ Mylordio Grenville tradita est. Hæc continet postremam decisionem quæstionis, bellumne, an pax sit continuanda.

Resolutio Problematis Nro 38. propositi.

Sit numerus familiarum = x , & librarum = y . Hinc nascitur aequatio $y^2 = 38(xy + x) + 2506$; nimirum $x = \frac{y^2 - 2506}{38y + 38}$; vel $38x = \frac{y^2 - 2506}{y + 1} = y - 1 - \frac{2506}{y + 1}$. Cum hoc problema indeterminatum sit, et tamen pro x integri, et positivi numeri requirantur, debet fractio divisibilis esse, separetur itaque 2506 in suos factores, qui sunt: 1, 3, 5, 17, 167, 501 &c.

Si assumatur $y + 1 = 1$. erit $y = 0$. si vero assumatur $y + 1 = 3$, prodibit pro x negativus numerus; cum reliquis factoribus habebitur pro x vel negativus numerus, vel fractio. Si autem ponamus $y + 1 = 501$, erit $y = 500 =$ libris,

& $x = \frac{500 - 1 - 5}{38} = 13 =$ Familiis. Hinc discipuli praemium fuit 10. 13 = 130 Grossis. Sit porro numerus grossorum primæ familiae obveniens = p ; 2da = $p + q$. &c., adeoque

13-iae $p + 12q$. Inde sequentes profluunt aequationes: $(2p + 12q) \frac{13}{2} = 130$; vel $p = 10 - 6q$, et $p^2 = (p + 4q)^2$ vel si p substitua ur; $(10 - 6q)^2 = (10 - 2q)^2$ hoc est: $54q^2 - 24q^2 + 440q - 225 = 0$. Unde deprehenditur $q = 1$ & $p = 10 - 6 = 4 =$ primo membro; $p + q = 4 + 1 = 5 =$ 2-do membro, ac tandem $(2p + 12q) \frac{13}{2} = 130 =$ numero grossorum, quos omnes familiae obtinuerunt.

Isacus Schuster,

Francofurtensis tabellarii filius.

Hoc problema rite resolverunt: Manheimensis M. S. Levy, & Offenbachensis G. H. Ehler.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes, praeter complures alios, libri venales prostant:

Articuli Comitiorum Anni 1805. 20 xr. compact. 24 xr.

Historia Regni Hungariae 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. Charta scriptoria 2 fl. 15 xr.

Hymnus an Pallas - Athene. Von Carl Anton v. Gruber. 8. 36 kr. auf englischehem Vellinpapier 1 fl. 30 kr.

Concordatum, et Collectio Bullarum, ac Brevium SS. P. N. Pii VII. Pont. M. super statu praesenti Ecclesiae Gallicanae; Decretum de constituendis novis Archi-Episcopis, et Episcopis, Publicatio Jubilaei, et Indultum de reducendis Festis. 8. compact. 51 xr., in charta elegante 1 fl. 12 xr.